Ministerium Ecclesiæ Anglicanæ à Reformatoribus nostris nec factum est nullum nec Antichristianum.

Vos sacri *Heroum* manes, cœloque recepti,
Quorum vindiciis primò *instaurata* refulsit
Relligio, & nimiùm, dum fas rectumq; putaret,
Romanæ obsequio devota *Britannia* sedis,
Excussit Papale jugum; descendite *Olympo*
Augusti, & mentes si tangit cura beatas
Aut amor ingrati vestris virtutibus Orbis,
Præsentes hodiè vestros ornate triumphos,
Quantillum vobis curæ est, quos ardua cœli
Regia victores celebrat *clamore secundo*,
Quid mendax *Roma*, aut Romæ Fanatica, partû
Vipereo, proles, vecordi murmure possit
Obstrepere? Ut toto imprimis ridetur *Olympo*
Fabula de *Manni capite*, & convivia ficta
Sacrantûm sese sua per suffragia Patrum.
Res memoranda novis Annalibus, atque recenti
Historiâ, quòd cùm delubra aræque paterent
Undique, fumanti fierent nova sacra *popinâ*.
Scilicet hinc miseros sec'lo volvente, nepotes
Perpetuus sacri, nullo præclusus hiatû,
Ordo Ministerii, fidei mysteria tradens
Attigit! ô habeas aliquem, pia *Roma*, pudorem:
Hunc potiùs turpi sacratum crede popinâ
Cujus vel fœdum facta est Urbs tota lupanar;
Cujus vel scortum, vel scorto nata propago
Incestat sanctæ subsellia proxima sedi.
Qualiter *Alphæus* (seu *Nympha Arethusa* vocetur)
Arcadiâ profugus, demerso creditur amne
Occulto latè subter mare tramite serpens
Fonte iterum puro *Siculis* emergere in oris:
Sic primæva Fides, fideique in secula custos,
Recta Ministerii longo successio tractû
Deducta, à primis hæc usque ad tempora fluxit.
Tecta diu, obducto limosis sordibus alveo
Fluxerat, & densâ circum caligine fusa
Fugerat humanos oculos, at cognita cœlo,
Relligio, *Roma* captivum cæca per Orbem
Impietas sævéque potens dum glisceret error.
Emersit tamen & *longo post tempore* lætum
Exeruit caput, & veteri splendore decora
Ringente *Italiâ*, *Papâ* frendente, refulsit.
Tunc cœli auspiciis parens, simul *Anglia* felix
In libertatem antiquam lucemque renata est;
Rejecto quicquid deliræ somnia Romæ
Aut fraus, ambitio, lucriq; insana cupido
Primævæ addiderant fidei: æternumq; recepto
Quicquid *Apostolici* afflatû prudentia *sec'li*
Sanxerat æthereo. Felicem te usque vocarem
Anglia, si semper mente hâc immota stetisses.
Fata obstant, obstat violenti sæva propago
Calvini, fidei sine fine intenta modoque
Purgandæ; & fastûs Papalis stirpe revulsâ,
Succrescens tumidæ *Paritas* vesana *Genevæ*.
Illic imprimis cœlo data jura recepit
Ordo sacer, qualis circa primordia fulsit,
Partito officii triplicis distinctus honore.
Longâ hinc sanctorum Patrum per secula fluxit,
Longa Ministrorum series. Hinc tempore justo
Ascendit *præsens Orbis Patriarcha Britanni*
Promeritum virtute thronum; quo *Granta* triumphat
Patrono, & felix *Rectore Ecclesia* gestit.
Hinc *Petrus*, cujus nomen formidine quassat
Papalem Cathedram, & tenebris emersa profundis
Sæpiùs, obtundit sceleratæ dogmata Romæ.
Quicquid *scurra procax*, quicquid *Fanatica turba*
Obstrepat, invidiâ stolidoq; armata furore.
Ille quibus *Primas*, aut *Præsul* displicet *ille*,
Non hos Relligio petit instaurata *Patronos*,
Non *hostes* metuit: Queîs nil impunè placebit,
Cui *Liga solennis*, sacratum sanguine *Fædus*,
Assertor *Beza*, & *Calvinus* defuit author.

Polygamia Legi Evangelicæ repugnat.

Esse duas *Veneres* generis non unius olim
Atque illis *pueros* creditur esse duos.
Illa vagâ spumâ turbatæ nascitur undæ:
Hæc fuit ipsius filia dicta *Jovis*.
Altera lascivis solet urere pectora flammis,
Et variis animum sollicitare modis.
Altera virgineas tædas fecisse jugales
Et castos satagit conciliâsse toros.
Illa procax puero Dea cum petulante subegit
Infantis mundi sæcula prima sibi.
Tum vaga robusti nullo connubia ritû
Jungebant, nullâ lege vetante, patres:
Sic nova cuique fuit deducta colonia terræ,
Ex populis genuit quos sibi quisq; parens,
Sexcentos licuit dum desudare per annos,
Natorumq; novos multiplicare greges.
Creverit uxorum sic natio, larga supellex,
Pauper erat potuit qui *numerare pecus*.
Forsan & uxores coluerunt more *Scytharum*:
Non binas messes præbuit unus ager.
Longè aliâ nobis causâ deducitur uxor,
Municipes cœlo quos genuisse decet.
Castaque virgineum est imitata Ecclesia *sponsum*:
Nempe animas *Christo* parturiisse velit.
Sic monet illa *Venus* puris advecta columbis,
Solùm animos animis quam sociare juvat.
Quæque duas alias dilexit, *adultera mens est*,
Alterius pellex pellicis una manet.
Nec plures adamare jubet nos Author amoris
Uxores; dederit *mollius* ille *jugum*.
Una *Laborantûm* curas hîc auget, in astris
Nulla *Triumphantûm* gaudia diminuet.

ERGO,

Quisquis erit cui non uxor satis una videtur,
Nil illi satis est, vane *Lysere*, *mali*.

Julii [illegible] 1679. In Vesp. *Comit.* Resp. *Sam. Fuller*, pro gradu S. T. D. *Coll. Div. Joh.*